

D.

DIPLOMA LOTHARII IMPERATORIS, PRO ECCLESIA LUGDUNENSI, DE NANTUADENSI

S. PETRI MONASTERIO.

(D'Achery. SPICIL. XII, 112. — Dom Boquet, VIII, 788)

Anno 852.

In nomine Domini nostri Jesu-Christi Dei æterni, Hlotarius divina ordinante providentia Imperator Augustus. Dum toto corde, tota anima, tota mente, et tota virtute in his quæ Deo cara sunt vitam nostram extendere, et actus nostros ad placendum illi informare cupimus, et amore ipsius ecclesiae, quæ est sponsa et corpus ejus, honorare, et in sublimæ ferre omni conamine quærimus, ad aures serenitatis nostræ perductum est, agente hoc maxime venerabile et nostræ Celsitudinî devotissimo Pontifice Remigio, quomodo sancta Lugdunensi Ecclesia aliquando ditissima et rebus latè florentissima et religione præclarissima fuerit, Pontificibus ejus in hoc maxime studium impendentibus, ut non modo sæcunda et generosa filiis existeret, verum et facultatibus et potentia sæculi ad fastum mundi comprimendum opulentissima redderetur. Sed causis diverso ordine præcurrentibus actum sit ut quæ ad gloriam ipsius cumulatae res undique in eo profluxerant, divisæ et distractæ multis generibus minuèrentur. Quæ res pietatis nostræ animum eò permovit, ut in gratiam omnis largitoris boni ad primum statum eam reparare niteremur, maentibus siquidem in ipsa sanctis studiis, et adhuc pia religione quæ imprimis illi decorem ferrent... Martyrum pretiosissimæ memoriæ et numerosissimi tropæi, sanctorumque millium gloriosissimi provectus ad tutelam, ad incitationem omnis virtutis, ad doctrinam sinceræ fidei abundaret rebus exterioribus, et si polatim voluntate hominum defluentibus minorata etiam usque ad ultimum, nisi temperasset pietas divina, haberetur. Ut ergo tanti boni participes, fautores, auctores, sublevatores, sicut ubique desideramus, propter omnipotentis Dei gloriam essemus, et ut sancta studia in ea amplius valerent ad imperium nostrum et augustam Serenitatis nostræ memoriam subducendam, visum et dignationi nostræ dono et largitione rerum nostrarum eam nunc ad præsens aliquantulum promovere: quod donec ad primam formam, si possibile sit, perducatur, simplicior propter venerationem loci et Pontificis, ubi opportunitas se dederit, id ipsum animo residebit. Conferimus itaque sacræ ac primæ Gallorum Ecclesie pio animo, prumptissima voluntate, simplici corde, quod deinceps omni tempore firmum esse et stabile permanere recipimus, Monasteriolum cum suis omnibus ad illud pertinentibus in honore Domini nostri Jesu-Christi sub invocatione beatissimi Petri Principis Apostolorum constructum, LOCIS JURENSIBUS SITUM, QUOD NANTUADIS AB AQUIS È VICINO EMERGENTIBUS PUBLICÈ VOGITATUR. Quam donationem liberalissimè a pietate nostra profectam, ita reverentissimæ matri Ecclesie Lugdunensi indructo tempore ad solatium et honorem sui manere volumus ut habitatores locelli ipsius vita, doctrina, et subministratio rerum necessarium, ordinente et disponente (providentia per) viscera maternæ pietatis et Sancto Pontifice ipsius, salvo privilegio... eis nuper antè, meliores et utiliores ab inde efficiantur, nec detrimentum ex subditiōne seu datione tali in aliquo sibi provenisse luceant: sed ad desiderium nostrum et cumulam remunerationis, fructum sui profectu, et gratiam vitæ melioris inde sibi accuisse perpetuo latentur. Ut autem manere nostra donatio et pietatis nostræ conlatio, et edictum nostræ præceptionis cunctis annorum curricula firmum et in convulsam possit, nec a quoquam violari ullo modo præsumatur magnitudinis nostræ anulo cum roboratione etiam manuum subter imprimere et munire ad durabilem stabilitatem jussimus.

Signum HLOTARII Sanctissimi Augusti.